



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Septiceps Lvthervs, Vbique Sibi, Svis Scriptis contrarius,
in visitationem Saxoniam**

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1564

De legibus imperialibus, cap. 14.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35803

DE LEGIBVS

*seditio . Vbi quæso seditiosius scripsit Munce-
rus, aut Fistulator ille, quos iure, vt seditio-
nis reos, interfecistis in Mulhusen? Quis rusticorū
tam seditiose loquutus est? Quibus vsquam
Suermeris contemptiores, vilioresque sunt
Principes, quàm sunt huic Barrabe? Vide igitur
(Illustrissime Princeps) quid Deo, quid Cæ-
sari, quid tot Regibus & Principibus, quos
ille vt lendes & bullas contemnit, dignè res-
pondeas, si serpentem hunc Regulum diutius in
gremio foueris, contra tuam omnisque populi
tui salutem.*

De legibus imperialibus.

C A P. XIII.

VISITATOR.

In li. Visit. **D**Vbitant nōnulli, an liceat in causis bono-
rum possessionis & in pœnis malorum,
vti legibus, quas Cæsares & Gentiles condi-
derunt? Item, an liceat suspendere fures, cum
lex Mosi aliter doceat. Exo. xx. Sciendum est
igitur, nobis bene licere, ac æquum esse, vti le-
gibus Imperatorum. Ait enim S. Petrus, j.
Pet. ij. Subiecti estote omni humane ordina-
tioni propter Dominum, siue Regi: tanquam
supremo, siue præfectis, tanquam ab eo missis,
ad vindictam malefactorum, ad laudem verò
bonorum. MAR. Idcirco, sane mox post tria
*In lib. de bo-
nis operibus* prima præcepta ponitur præceptum obedien-

tiæ, quia nullū est opus melius, quàm obedi-
 tia & omne obsequium erga eos, qui nobis
 constituti sunt superiores. Vnde & ino-
 bedientia grauius peccatum est quàm homi-
 cidium, luxuria, furtum, fraus & quicquid in
 iis conprehendi potest. **DOCT.** Omnis po-
 testas à Deo est, & licet exactionent & premāt
 rusticos aut ciues suos, aut sacerdotes, tamen
 sunt ferendi, non secūs ac manus domini, pre-
 mentis peccata nostra & demerita. **LVT.** Fe-
 runt nullum esse regimen sæculare vsquam
 pulchrius quàm apud Turcam, qui tamen ne-
 que Canonicum neque Ciuile ius habet, sed
 solummodo suum Alcoranum. At nos fateri
 oportet, nusquam esse turpius regimen, quàm
 apud nos per Canonicū & Ciuile ius, q̄ nullus
 status incedit amplius rationi naturali, taceo
 scripturæ sacræ, conformis. **SVER.** Scio equi-
 dem, nullam Rempub. legibus fœliciter admi-
 nistrari. Si enim prudens fuerit magistratus,
 ductu naturæ omnia fœlicius administrabit,
 quàm legibus: si prudens non fuerit, legibus
 nihil promouebit nisi malum. **LVT.** Assen-
 tior, Suermere: Nam prudentes Magistratus
 simul cum scriptura sacra satis supérque no-
 bis ius essent, sicut ait Paulus, j. Cor. vj. Sic nō
 est inter vos sapiens quisquam, qui possit iu-
 dicare causam proximi, vt necessarium sit co-
 ram gentiliū iudicibus litigare? **SVER.**
 Nulla est ergo remedij spes, nisi reuocato li-
 bertatis Euangelio, secundum ipsum, extinctis

*De. X. præ
cep. Ca. 4.*

*Ad nobili-
tatem Ger-
manie.*

*In Cap Ba
bylo. c. de
matrimo.*

Vbi supra

*In 500. art.
art. 391.*

DE LEGIBVS

semel omnibus omnium hominum legibus,
omnia iudicemus & regamus, Amē. ECCLE.

*In Serm. fe-
ria 4. post in
uocant.*

Si quis itaque te cogere velit, quemadmodum
fecit Papa cum legibus suis, ne comedas car-
nes in sexta feria, sed pisces, hīc nullo pacto
finas te à libertate, in quam te Deus posuit,
extrudi, sed in despectum eius, contrarium
agas, & dicas. Ob id ipsum sanè, quod prohi-
bes mihi esum carniū, & conaris ex mea li-
bertate præceptum facere, ideo in despectum

*In Cap. Ba-
bylo. cap. de
Sacris ordi.*

tui vescar illis. BARR. Recte pergitis, fratres,
contra leges & traditiones humanas: turpe
enim est & iniquiter seruile, Christianum
hominem, qui liber est, alijs quàm cœlestibus
ac diuinis subiectum esse traditionibus.

*In libro de
Confess. ad
Fran.*

SVER. Moses Deutero. iiii. ait, Ad verbum
quod loquor vobis non addetis, neque au-
feretis ex eo. An non clarum est hoc dictum
contra omnes leges humanas? Hinc sanè
scriptura Diabolo speciale nomen dat, vo-
cans eum hebraicè Leuiathan, hoc est addi-
torem, qui plus addit quàm oportet. Omnes
igitur, qui humanas leges diuinis superad-
dunt, certissimè sunt inimici Dei & Leuia-
than Apostoli, & qui eas acceptauerint aut
seruauerint, discipuli sunt Leuiathan. BARR.

Vbi supra.

Dico itaque, neque Papa, neque Episcopus,
neque vllus hominum habet ius vnus syllabæ
constituendæ super Christianum hominem,
nisi id fiat eiusdem consensu: Quicquid aliter

*In lib. de bo-
nis operibus*

fit, Tyrannico spiritu fit. MAR. Nisi prin-

ceps ita prudens sit per se, vt fuorú cōsilio non egeat, regimem eius erit sicut tela aranei, qua capiuntur muscæ, perrumpunt verò molares. LV T. Recte dicis, Martine, vbi enim princeps ipse non est prudētior Iuriscōsultis suis, nec amplius intelligit quàm in Iuridicis libris continetur, is proculdubio reget secundum illud Prouerbio. 28. Dux indigens prudentia, multos opprimet per calumniam. D O C T. Sed habent Iuristæ priuilegium magnum, vt nulli contra eos loqui, aut eos iudicare liceat: Id autem, est quod nemo recte arguit, quod non intelligit: At iuris intellectus est infinitus, & inexhaustus, neque est repertus iurista, qui omnia norit. Idcirco si non antè de eis licet iudicare, quàm omnia eorum intellecta fuerint, nunquam licebit iudicare, semper enim dicent, non esse intellectū quod arguitur. LV TE. Quomodo ergo faciat princeps, qui tam prudens non est, & necessariò rēgitur per Iuristas & libros Iuris? Respondeo, Ideo dixi, statum principum, esse statum periculosum. Et nisi sit ipse tam prudens, vt per sese, & ius, & iuristas regat, ibi succedit iuxta Salomonis, Vē terre cuius Princeps puer est.

In lib. de potestate saculari.

De X. præcep. cap. 3.

Vbi supra.

COCLÆVS.

Audis hæc (Illust. Prin.) audiant & cōsiliarij tui, qui supra modū Martiniani sunt. Audiant & Visitatores tui Iurisconsulti. Rife-

DE SEPTEM SACRAMENTIS.

runt quidem hæcenus, & collaudauerunt Martinum suum in Papæ Conciliorumque constitutiones & Decreta, tot libris tam scurriliter inuehentem, quasi ad se non pertineret ea, quæ contra leges & traditiones humanas ille scripsit. Quod si tam cæci sunt, ut non videant, leges quoque gentilium Romanorum esse leges & constitutiones humanas, saltem perlegant semel ista, quæ de legibus, hic ex diuersis eius libris sunt adducta. Quis autem homo Christianus æquo animo ferat, leges Christianorum in Conciliis (ubi Christus in medio eorum est, Matth. x viij. & spiritus sanctus primæ sententiæ senator, Act. xv.) traditas, dici constitutiones humanas: leges verò gentilium (qui de Christo & spiritu sancto nihil prorsus sciuerunt, sed sine Christo & sine Deo erant in hoc mundo, ut ait Apostolus Eph. ij.) dici leges aut constitutiones diuinas? Necessariò igitur sequitur hinc, ut abrogetis, aut leges principum, aut scripta Lutheri.

De septem sacramentis.

C A P. XV.

VISITATOR.

In lib. V. visitæ.

DEbent præterea homines aliquando admoneri, quando de sacramentis prædicatur, ut reminiscantur baptismi sui, doceanturq; baptis